



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De eodem, qui Laudunenses clericos commendavit ob simplicem electi sui
praesentationem, cap. 13.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

rationis in corde eiusdem Regis virtus obtinuit simplicitatis.

CAPVT XIII.

Tempore quodam clerici Laudunenses, episcopo suo defuncto, quendam ex suis fratribus canonicum simplicem in Episcopum eligentes, sub his verbis prædicto Regi illum præsentauerunt: Domine nos præsentamus vobis dominum Emelrici electum nostrum, hoc ei nomen erat. Rege tacente, & formam illius præsentationis considerante, tandem respondit: Quem præsentatis mihi? dominum, inquit, Emelricum. Et Rex, Vultis aliquid plus dicere: illis timentibus, ne forte aliquid regi displiceret in persona, vel in verbis præsentationis, responderunt: Nihil domine: Tunc ait rex; Rarò audiui talem præsentationem, quando aliquis mihi præsentatur electus, nomen dignitatis eius exprimitur ab electoribus, in hunc modum: Domine nos præsentamus vobis dominum N. Archidiaconum, Præpositum, Decanum, vel Scholasticum nostrum: fateor vobis, satis mihi placet tam simplex simplicis canonici præsentatio, & idcirco spero quòd a Deo facta sit ipsa electio. Nostis qualiter in iam dictis dignitatibus electiones celebrantur? si Scholasticus est, causas canonicorum suorum fouendo, tum propter literaturam, tum propter comparatam amicitiam, ab ipsis in Episcopum eligitur. Si Decanus est, hypocrisis sua fratrum excessus dissimulando, cognatos & amicos introducit, a quibus sublimatur. Si Archidiaconus vel Præpositus est, utpote vir nobilis, parentum potentia magis intruditur quàm eligitur. Ecce hæc est causa, quare capita ecclesiarum sint infirma. Deinde conuersus ad electum ait; Domine Emelrice, quia electio vestra videtur mihi esse simplex, rationalis, & canonica, non vobis deero, ubicunque mei indigueritis. Lambertus monachus noster, qui mihi hæc retulit, eodem tempore dicit se fuisse Parisiis. Qualis verò ac quantus fuerit huius Regis circa simplices affectus, sequentis operis declarat effectus.